

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

I. Excitat amor animam pigram.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

LIBER QUARTUS

I. EXCITAT AMOR ANIMAM PIGRAM.

AMOR sic alloquitur animam : O stulta et insipiens anima, ubi nunc es, et ubi est habitatio tua? Ad quid vivis, et ubi quiescere poteris? Ex quo non diligis delectabilem Deum supra voluntatem tuam super omnem virtutem tuam?

II. 23.

Respondit stulta dicens : Noli me inquietare excitando ; nescio quid loquaris mihi.

Amor dixit : Reginam excitare licet, cum adventus appropinquat regis.

Anima dixit : Ego ordinem sanctum porto, jejuno, [vigilo], sine [gravi] crimine vivo, satis ligata sum regula et conclusa.

Amor dixit : Quid prodest quod vas vacuum multo ligamine constringitur, cum tamen vinum effluere videatur. Impleatur ergo lapidibus, exteriorum scilicet laborum, et transitorii rerum temporalium cineribus.

Anima dixit : Ego voluptate carnalium cognatorum. et spiritalium amicitia perfruo dilectorum. Et quomodo possum voluptuose diligere, cujus speciem non valeo videre?

Amor dixit : O ! quod non cognoscis eum cujus nomen dulce tam frequenter audis ! Plus versatur occupatio tua circa tuum caninum corpus quam erga eum, cujus nomen est Jesus Christus, cujus propterea gloria privabitur spiritus tuus.

Anima dixit : Ego vivo secundum propriam voluntatem, quam libenter expleo juxta meam possibilitatem.

Amor dixit : Si Deo vis adhærere fideliter , oportet te charitatem ejus sequi spiritaliter.

Anima dixit : In potestate et libidine mei corporis requiesco.

Amor dixit : Erubescere , obsecro , quod nomine gloriaris religioso , et occuparis per omnia corpori tuo.

Anima dixit : Quomodo sustentarem et viverem , si tuis consiliis obtemperarem ?

Amor dixit : O infidelis ! qui animam adeo nobilitavit , quod [solus] cibus ejus sit Deus æternus , numquam impas- tum relinquet de terra plasmatum mortale corpus.

Anima dixit : Tu dure increpas me ; si scirem quis et ubi esset , ad eum adhuc converti sensus meus posset.

Amor dixit : Si vis cum ipso in libertate jucunda et nobili habitare , oportet te primum habitationem pravæ consuetudinis abnegare.

Anima dixit : Cum quid melius est cogovero , hoc eligere parata ero.

Amor dixit : O quam multi hoc non faciunt , qui juxta doctrinam plura sapiunt [et naturalem sensum] , ut se tradant potestati nudi ac simplicis amoris , fiduciam habentes , in eo cui cura est de nobis ; at mera simplicitas , quæ sinceritate pura Deum intendit , huic se ipse dignanter inclinat et proinde attendit.

Anima dixit : Putabam ego cum religiosam vestem induissem , quod valde ardua conscendissem.

Amor dixit : Quid prodest quod dormienti clara vestis induitur , eique ciborum apparatus deliciosus apponitur , cum his soporatus et dormiens non utatur ? Eia , dilecta , permittas te excitari et vigila.

Anima dixit : Eia nunc dicito mihi ubi sit habitatio ejus.

Amor dixit : Nullus dominorum invenitur qui in omnibus domiciliis suis similiter habitare valeat , præter ipsum solum , qui in pace sanctæ charitatis habitat . Ibi cum dilecta secreta colloquitur in angusta mentis solitudine , eamque complectitur in amoris sibi complacens plenitudine . Intuentem se amanti salutatur oculo ; deosculatur speciosam [divini] oris sui osculo ; [oh ! bene tibi et plusquam bene , in supermagnifica hora] contingit virginem tactu mundissimo , in flo-